

PARS QUINTA

De actibus et functionibus in aliquibus festis
per annum observandis.

CAPUT I.

DE TEMPORE ADVENTUS, NATIVITATIS ET EPIPHANIAE.

§ I. — *De tempore Adventus.*

1239. Tempus Adventus, quod perdurat usque ad Vigiliam Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, est privilegiatum. Hoc tempore in Officiis et Missis de Tempore adhibetur color violaceus, etiam in Dominicis, quae infra Octavas occurrunt. Ornatus Altaris, etiam Tabernaculi, coloris violacei esse debet, et removenda sunt ab eo flores, et Reliquiae Sanctorum, neque pulsantur organa, excepta sola Dominica tertia et Vigilia Nativitatis Domini¹. Si vero occurrit festum alicuius Sancti, ornatus Altaris sit coloris Officio convenientis. Semper vero ornatus Altaris coloris albi esse debet, si SS. Sacramentum expositum est, etiam in Missis, quae cantari contingat in paramentis rubris seu violaceis².

¹ S. Rit. C. 11 Septemb. 1847.

² S. Rit. C. 9 Iulii 1678.

1240. Dominica prima Adventus est primae classis; hinc impedit Officium cuiuslibet festi, etiam solemnissimi; impedit quamcumque Missam votivam solemnem, etiamsi festum Patroni vel Titularis cum populi concursu celebretur; ad summum Oratio Patroni Orationi Dominicae sub una conclusione uniri potest¹. Missa exequialis vero, corpore praesente vel recens humato, non prohibetur, dummodo non omittatur Missa conventualis². Ritus Officii est semiduplex.

1241. Dominica secunda, tertia et quarta Adventus sunt secundae classis, quae nulli festo occurrenti cedunt, nisi sit primae classis. Celebrari vero potest, servatis servandis, Missa votiva solemnem pro re gravi et publica Ecclesiae causa, excepta tamen Missa votiva Orationis XL Horarum, pro qua requiritur speciale Apostolicum Indultum. Ritus Officii semiduplex. In Dominica tamen tertia, quae dicitur *Gaudete*, Missa, celebrari debet quadam cum solemnitate et laetitiae apparatu: quare inter candelabra apponuntur vasa cum floribus, et paramenta Altaris, Ministrorum et Celebrantis aliquanto esse debent sumptuosiora, sed coloris violacei.

1242. Ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniae omittuntur Sanctorum Suffragia, necnon Commemoratio de Cruce. A die 17, in qua incipiunt Antiphonae *O*, seu maiores, ad 24 Decembris inclusive, cessant Officia votiva a Leone XIII 5 Iulii 1883 concessa; cessant quoque omnes Octavae peculiare.

1243. A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus dicitur Antiphona *Alma Redemptoris* etc., cum

¹ S. Rit. C. 2 Martii 1744.

² S. Rit. C. 22 Septemb. 1837.

Ÿ. Angelus Domini et Oratione *Gratiam tuam*. Ad Primam in Responsorio brevi dicitur: *Qui venturus es in mundum*, etiam in Officio de Sanctis, praeterquam in die Immaculae Conceptionis B. M. V. et per Octavam.

1244. De Feriis Adventus fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, quocumque recurrente festo, etiam primae classis; hae Ferae appellantur maiores, quae nunquam omittuntur. Infra hebdomadas Adventus, quando dicitur Missa festi semiduplex, secunda Oratio est de Adventu, et tertia *Deus, qui de B. M. V. utero*, quae omittitur, si Commemoratio aliqua sit peragenda. Sed infra Octavam Immaculae Conceptionis, in eiusdem Missa tertia Oratio est de Spiritu sancto, quae similiter omittitur, cum aliqua fit Commemoratio.

1245. De Vigiliis in Adventu nihil fit in Officio: in festis novem Lectionum, nisi sint I classis, tertia Oratio Missae erit de Vigilia et legetur eius Evangelium in fine. In Feriis vero Quatuor Temporum Evangelium ultimum erit de Feria; non occurrente festo novem Lectionum, Officium erit de Feria, Missa vero de Vigilia cum Commemoratione Adventus, exceptis tamen Feriis Quatuor Temporum, in quibus Missa dicitur de Feria cum Commemoratione Vigiliae et eius Evangelium in fine. In Missis votivis semper legitur Evangelium S. Ioannis, et, si solemnem non sit, in ipsa fit Commemoratio Vigiliae post Commemorationem Ferae.

1246. Feria secunda post Dominicam primam Adventus leguntur in publica mensa apud Regulares Decreta Urbani VIII et Innocentii XII super celebratione Missarum.

§ II. — *De observandis in Vigilia
et in festo Nativitatis Domini.*

1247. Pro solempni cantu Martyrologii in Vigilia Nativitatis Domini, Sacerdos Cantor seu Hebdomadarius indutus Amictu, cotta et Pluviali violaceo, sine Stola, quae in Officio utcumque solempni est vetita¹, accedit ad Chorum hoc ordine: praecedit Thuriferarius cum thuribulo et navicula, sequuntur duo Ceroferarii, candelabra cum cereis accensis deferentes, ultimo ipse Cantor, iunctis ante pectus manibus; et facta ab omnibus, more solito, Altari genuflexione et utriusque Choro reverentia, accedunt ad legile panno violaceo tectum, ubi caput Sacerdos detegit. Acolythi seu Ceroferarii stabunt hinc inde, se mutuo respicientes, Thuriferarius vero ad dexteram Sacerdotis.

1248. Dicto *Benedicamus Domino* ac R). *Deo gratias* a Choro, Cantor² ponit incensum, more solito, cum benedictione, quam petit Thuriferarius, dum naviculam ministrat, dicens: *Benedicite Pater Reverende*; et Sacerdos, imposito thure, more solito benedicit his verbis: *Ab illo benedicaris* etc., interim formans Crucem super thuribulum, ac Martyrologium incensat, sicut in Missa solempni incensatur liber Evangeliorum. Deinde Thuriferarius, qui cum debitis osculis thuribulum Sacerdoti tradidit, solitis item osculis thuribulum accipit e manu Sacerdotis.

1249. Finita incensatione, Sacerdos manibus ante pectus iunctis, incipit cantare, stantibus universis, facie

¹ S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

² S. Rit. C. 27 Martii 1779, in una Ord. Minor. Reformat., ad 11.

versa ad Altare, Ceroferariis exceptis, qui stant se mutuo respicientes; et cum Sacerdos pervenerit ad illa verba *In Bethlehem Iudae*, vocem elevat, usque dum dixerit *factus Homo*. His dictis, omnes in genua procumbunt, Sacerdote et Ceroferariis exceptis, et Sacerdos statim altiori voce, eo tono quo canitur Passio, prosequitur: *Nativitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem*. Quibus prolatis verbis, et ipse Cantor genuflectit; Acolythi vero stant.

1250. Post parvam pausam omnes surgunt, Sacerdos, more solito, Choristis sedentibus, lectionem Martyrologii prosequitur; qua finita, ipse ac Ministri genuflexionem versus Altare et reverentiam versus Chorum faciunt, et eo ordine quo venerant, ad Sacrarium redeunt.

1251. Si Vigilia Nativitatis Domini occurrat in Dominica quarta Adventus, in Vesperis Sabbati nihil fit de Vigilia, quia Officium Vigiliae tantum incipit ad Matutinum, sed de Sabbato ante Dominicam quartam.

1252. In Vigilia Nativitatis Domini occurrente in Dominica, non legitur nona Lectio Homiliae Dominicae, neque eius Evangelium in fine Missae, quia lectum est in Sabbato praecedenti; fit tamen Commemoratio Dominicae, non solum in Laudibus, sed et in Missa, in qua nulla alia dicitur Oratio: et post Graduale dicuntur *Alleluia* et Versiculus sequens ut in Missali. Ad coenam huius diei pro benedictione mensae adhibenda est formula Nativitatis, die enim Dominica coena fit post Vesperas, id est in sero.

1253. In sacratissima Nocte, uno quadrante ante horam undecimam, vel hora magis competenti ut Missa

hora duodecima incipi possit; Religiosi excitantur non instrumento solito, sed campanulis et devota cantilena, per Cantores aptos pridie designatos, quibus caeteri Religiosi iunguntur, simulque pergunt ad Chorum vel alio, iuxta locorum consuetudinem, ubi cantum absolvunt.

1254. Ad Matutinum dantur tria prolixiora signa et accenduntur in Altari maiori sex candelae, quae usque ad finem Laudum ardebunt. Matutinum Superior intonat, quod solito solemnius cantandum est. Prima et secunda Homilia leguntur a duobus distinctis Sacerdotibus absque Stolis [†], tertia ab ipso Celebrante Amictu et Alba induto, et etiam Stola et Pluviali, si ad *Te Deum* fiat processio cum imagine Christi infantis. Adhibentur ex immemorabili Ordinis Franciscani consuetudine in prima Homilia duo intorticia, quatuor in secunda, et sex in tertia, quae a Clericis vel Fratribus Laicis deferuntur. Dum Celebrans legit suam Homiliam, omnes de Choro pro eius reverentia stant detecto capite.

1255. Finitis tribus Nocturnis, Celebrans intonat alta voce *Te Deum laudamus*; quo absoluto, dicitur ab ipso Celebrante *Dominus vobiscum*, Oratio *Concede quaesumus*, et dicto *Benedicamus Domino* sine *Fidelium animae* etc., sequitur prima Missa, cui, sicut et duabus aliis solemnibus Missis, praeter Caeremoniarium saltem tres Acolythy inserviunt. Ubi fit processio, puerum Iesum, cum perventum fuerit ad Altare, Sacerdos loco eminenti exponit, et posito more solito incenso in thuribulo, triplici ductu adolet; deinde dicit *Dominus vobiscum*, Orationem etc.

[†] S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

1256. In his tribus Missis solemnibus ad *Sanctus* sex Ceroferarii egrediuntur cum cereis accensis ex parte Evangelii, in medio genuflectunt, et ante Altare genuflexi manebunt usque ad peractam consecrationem, nisi in Missa fiat sollemnis populi Communio aut expositum maneat SS. Sacramentum. In primo casu, post Communionem populi ad Sacristiam redeunt; in secundo vero, finita tota functione. Media nocte tamen SS. Sacramentum non exponatur, nisi aliud consulat legitima consuetudo [†].

1257. In Missis dicitur *Gloria* et *Credo*. In qualibet Missa solenni, dum cantatur: *Et incarnatus est*, Celebrans et Ministri debent genuflectere in infimo gradu Altaris utroque genu in cornu Epistolae, si sedeant ad scamnum, alias genuflectunt more solito in suppedaneo. In prima Missa ad *Communicantes* in Canone, dicitur *noctem sacratissimam*, etsi celebretur de die; in aliis duabus et per Octavam: *diem sacratissimum*. In secunda Missa fit Commemoratio sanctae Anastasiae M., licet celebretur solemniter. In tertia Missa dicitur ultimum Evangelium e festo Epiphaniae.

1258. In sacratissima Nocte vel post colatiunculam alloquitur P. Superior suos Religiosos sive in Choro sive in refectorio, brevem et devotum sermonem de sacro mysterio proferens. Omnes Religiosi, facta de more Confessione, accipiunt absolutionem generalem et renovant sua vota.

1259. In nocte Nativitatis Domini, ante auroram non licet plures Missas celebrare, praeter unam solem-

[†] S. Rit. C. 17 Septemb. 1785.

nem, neque s. Communionem ministrare, sine speciali Indulto vel privilegio S. Sedis ¹. Sacerdos, qui unam tantum Missam celebret, legat Missam, quae respondeat circiter horae iuxta Rubricas peculiare eiusdem diei ². Vide etiam n. 812.

1260. Sacra imago divini infantis natalitio tempore, principe loco super Altare, sed minime super Tabernaculum exposita, post Crucem est thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo, quo incensatur Crux ³. Sed hanc incensationem omittendam esse, si est expositum SS. Sacramentum, per se patet.

1261. Hodie prohibentur Missae de Requie, etiam praesente cadavere. Aliis vero diebus infra Octavam Nativ. Domini, potest cantari una Missa sollemnis praesente corpore. Item prohibentur hodie omnes Missae votivae, et diebus infra Octavam huius festi solummodo sollemnis permittitur, pro re gravi vel publica Ecclesiae causa.

1262. Hodie prohibentur Missae in Oratoriis privatis. Si ex privilegio die Nativitatis concessa sit Missae celebratio in Oratorio privato, Sacerdos potest ibi ter Sacrum facere ⁴. Contra Sacerdos caecutiens, qui Indulto gaudet dicendi Missam votivam B. V. Mariae, non potest hac die tres Missas votivas B. V. M. celebrare, nec ratione sollemnitate tenetur addere *Credo* vel *Gloria*, sive privatim, sive publice celebret ⁵.

¹ S. Rit. C. 23 Martii 1686: et 18 Septemb. 1781.

² S. Rit. C. 19 Iunii 1875, in una Ord. Carthus.

³ S. Rit. C. 15 Februar. 1873.

⁴ S. Rit. C. 13 Januar. 1725.

⁵ S. Rit. C. 11 April. 1840, in Barc. ad 4: et 28 April. 1866, in Nolan. ad 3 et 6.

1263. A Nativitate Domini usque ad Epiphaniam habetur benedictio mensae: *Verbum caro factum est* etc., et pro gratiarum actione: *Notum fecit Dominus* etc.

1264. Fratres Minores tenentur ad praeceptum abstinenciae a carnibus et ieiunii vi s. Regulae, si Natalis Domini incidat in Feriam sextam ¹, non tamen in Sabbatum.

§ III. — *De observandis in Vigilia et in festo Epiphaniae.*

1265. Vigilia Epiphaniae, quamvis ritus semiduplicis, est privilegiata: ita ut, si occurrat in ea festum duplex etiam primae classis, debeat in Officio et Missa festi fieri Commemoratio Vigiliae, eiusque Homilia legi pro nona Lectione, et ipsius Evangelium in fine Missae: aequiparatur enim diei Dominicae. Si haec Vigilia venerit in Dominica, licet eo anno Dominica ipsa vacet, attamen in Missa Vigiliae dicitur *Credo* et habetur aspersio aquae benedictae. Ipsa est Vigilia sine ieiunio.

1266. Cum Matutinum Epiphaniae careat Invitatorio, ideo praemisso ab omnibus Choristis *Pater, Ave, Credo* ac signo Crucis, inchoatur a Superiore per integram Antiphonam: *Afferte Domino* etc. Responsorium primum primi Nocturni hodie, in Dominica infra Octavam et in ipsa Octava dicitur: *Hodie in Iordane* etc. In tertio Nocturno Antiphona prima dicitur: *Venite adoremus* etc., et Psalmus 94; Antiphona intra Psalmum repetitur, et

¹ Seraphicae Regulae Expositores et Doctores Corduba, Miranda, Rodrig. Fortel. Marchant. C. 4, Bulsanus et alii.: Decret. S. Officii diei 18 Nov. 1891.

quidem a Choro, Psalmus vero dicitur ab Acolythis. Repetita post *Gloria Patri* etc. a Choro tota Antiphona, secundus Acolythus statim subiungit secundam, nempe: *Adorate Dominum* etc., et dicitur Psalmus *Cantate Domino*. In Responsorio septimo et octavo tertii Nocturni, ad verba: *procidentes adoraverunt*, caput inclinatur.

1267. In reliquis huius Octavae Officiis, ad Matutinum, post *Pater, Ave* et *Credo*, dicitur: *Domine labia mea* etc., *Deus in adiutorium* etc., cum Invitatorio *Christus apparuit nobis* etc. et Hymno: *Crudelis Herodes* etc., tuncque primus Psalmus tertii Nocturni est: *Fundamenta eius* etc.

1268. Infra hanc Octavam dicitur eadem Missa, quae in festo, et post Orationem diei dicuntur Orationes: *Deus, qui salutis aeternae* etc. et *Ecclesiae*.... vel pro Papa, nisi occurrat festum simplex; tunc enim tertia Oratio est: *Deus, qui salutis* etc.

1269. In hac Octava prohibentur Missae votivae privatae; non vero solemnes pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, et Defunctorum praesente corpore¹. Infra eandem Octavam, non vero in die Octavae, fit tantum de festo primae classis, nempe Titularis et Patroni principalis ac Dedicationis Ecclesiae propriae². Praefatio erit de Octava, nisi festum habeat propriam; *Communicantes* semper erit de Epiphania.

1270. Ad quaesitum: « An in aquae benedictione, quae in Vigilia, vel in festo Epiphaniae in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, permittendus sit

¹ S. Rit. C. 28 Aug. 1827.

² S. Rit. C. 20 Novemb. 1660.

ritus alius, quam qui praescribitur a Rituali Romano ad faciendam Aquam benedictam? »; S. Rituum Congregatio Decreto 17 Maii 1890 respondit: *Negative*. Quod responsum SS. D. N. Leo Papa XIII ratum habuit et confirmavit, die 11 Iunii anno eodem¹.

1271. In Officio et Missa de Tempore, ab Octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, adhibetur color viridis, exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, quibus color debet esse Octavae conveniens²; et quando Officium non est duplex, secunda Oratio in Missa usque ad festum Purificationis erit, *Deus, qui salutis*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa: post Purificationem secunda *A cunctis*, tertia ad libitum. Si autem facienda sit aliqua Commemoratio, erit tertia quae alias esset secunda.

CAPUT II.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. ET DE BENEDICTIONE CANDELARUM.

1272. Praeparanda sunt pro benedictione Candelarum, processione et Missa conventuali, in credentia: Calix pro Missa cum omnibus ornamentis; Planeta, Stola et Manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica privilegiata festum celebretur; thuribulum et navicula cum thure; vas aquae benedictae cum aspersorio; pelvis, urceus et mantile, pro lotionem manuum post distributionem Candelarum. Manutergium; pelvi-

¹ Analecta, Vol. VI, pag. 227.

² S. Rit. C. 12 April. 1823, in una Panormit.